



U. 263

M. 2,741. 2734.

Just. Martin Glaesneri diatribe philolog. de R. Simeone, filio Joachi,
auctore libri Sohar, in qua Schoettgenii dissertatio de eodem exami-
natur. Hildes. 1736.



2

DIATRIBE PHILOLOGICA,
DE
R. SIMEONE FILIO JOCHAI
AUCTORE LIBRI SOHAR
IN QUÀ
VIRI CELEBERRIMI
CHRISTIANI SCHOETTGENII
DISSERTATIO
DOCENS
R. SIMEONEM FILIUM JOCHAI
AUCTOREM LIBRI SOHAR
RELIGIONE FUISSE CHRISTIANUM
MODESTE EXAMINATUR ET CONTRARIUM
POTIUS EVINCITUR, ILLUM NON FUISSE
CHRISTIANUM, SED JUDÆUM
AUCTORE
JUSTO MARTINO GLÆSENERO,
SS. Theol. Licent. & ad D. Andreæ Paſt.

HILDESIAE,
TYPIS JUSTI HENNINGI MATTHÆI. 1736.

18

DIA TRIBUS PHILOLOGICA
R. SIMEONE FILIO IOACHAI
AUGUSTORE PHILIPPO SCHOLI
IN 1670
ARI GERHARDINI
CHRISTIANI SCHOLETTI GENNI
DISSESTITO
BOOKS
R. SIMEONI FILIO IOACHAI
AUGUSTORE PHILIPPO SCHOLI
REPLICATIO EXAMINATOR ET CONTRARIA
MODESTA EXAMINATOR ET TUM MONTUOSA
POTUS VINCITOR, ITA MUNIMENTUM
CHRISTIANUM, SEQUITUR
AUGUSTOR
IUSTO MARTINO CLAVSENERO.
22. 1. 1691. F. 160. 8. 16. D. A. 1691. 160.

MEDISIM
TATIS IUSTI HENRICI MARTINI 1691



§. I.



eleberimus Christianus Schöttgenius
Fautor noster plurimum colendus
superiori Anno Mense Julio Differ-
tationem quandam , occasione cu-
jusdam actus oratorii , quo juvenes
aliquot delecti in publicum prodire
& in conspectu Virorum eruditorum aliorumque Moe-
natum loqui , more in Scholis usitato , exercentur , ty-
pis exprimi jussit ; In qua R. Simeonem Filium Jochai,
Auctorem Libri Sohar e numero Judæorum expungere
illumque in Censum Christianorum referre allaboravit.
Mirum sane nobis videtur , famosissimum illum Jūdæum
toties in Talmude & Scriptis Rabbinorum decantatum
ob locutiones quasdam obscuras ac a conceptu nostro
vulgari alienas , statim Christianorum cœtui velle ad-
scribere ; cum Christiani æque ac judæi contrarium ha-
ctenus defenderint . Putat vero Vir Celeb , in libro So-
har argumenta quædam animadvertisse , quæ Christiani-
sum redoleant omnemque rem penitus conficiant . Sed
si dicendum quod res est , momenta ista quæ Vir Celeb.
pro stabilienda sua sententia attulit , tanti ponderis non
sunt , ut me in assensum rapiant ; Vestigia potius ju-
da-

daifni & quidem corruptissimi ubique eminent. Non ægrè itaque laturum Virum Cel. confido, si eadem libertate , quam sibi in alios sumisit , & ego utar, modeste que ab illo dissentiam. Non autem nobis est animus integrum opus Soharicum percurrere, ac ex eo quæ ad usum nostrum sunt , notare ; Hoc sane a scopo nostro esset alienum ac fines Dissertationis transcenderet. Breves enim erimus in expendendis quibus Vir Cel. insistit argumentis illorumque insufficientiam ostensuri ; Post hæc faciem Judaismi istius ætatis deformissimam , ex Gottofr. Christophori Sommeri specimine Theologiæ Soharicæ Gothæ excuso , cuius ductum sequemur , sumus monstraturi.

§. II.

Nolo jam liti immorari quæ inter Viros Eruditos de Auctore & præsertim fatis Libri Sohar est agitata ; (a) Sive ea antiquitate , quæ vulgo jactatur , gaudeat, nec ne. Celeb. Schöttgenius §. II. prius affirmat & causam quare tam diu apud Judæos latuerit hanc esse putat ; Quia R. Simeon Jochaides tam aperte de Messia locutus fuerit , quod Doctoribus Mischnicis & Germaricis ut traditionum humanarum patronis displicererit. Hinc factum ut doctrinæ illius de Messia oblitione sepultæ jacuerint. Non video autem quare Talmudici illius

(a) Præter Auctores a Dn. Schöttgenio l. c. p. 3. citatos conf. Joh Meyer in Diff. de Mysterio Trinitatis. §. CXI. p. 127. sqq. David. Millius de Scriptoribus Rabbinicis p. 48. inferti ipsius Catalectis rabbinicis. Buxtorfius de Abbrev. p. 203. sqq. & Bibl. Rabb. p. 69. Petrus Allix Ausspruch der alten Jüdischen Kirche wieder die Unitarios c. XI. p. 177. sqq. Knorr a Rosenroth, Cabb, Denud, T. II. Præf. p. 2.

dogmatis oblii fuerint . cum tot tanta de Messia in Talmude occurrant ? Si ex opinione judæorum recte senserit ; Non est quod gloriantur , qui veram & orthodoxam sententiam de Messia in isto libro reperiri putant ; Sin minus ? Sane atro carbone a Doctoribus Germanicis fuisse notatus ac ex eorum schola ejectus ; Neutrū autem deprehenditur . Pergit idem Vir Celeb. & doctrinam hanc a clandestinis ipsius sectatoribus fuisse conservatam & ad posteros transmissam contendit ; Sectatores autem istos clandestinos esse ; Qui Christum quidem sectati fuerint , attamen necessitatem legis Moysæ inculcaverint . Non negamus quidem ejusmodi homines extitisse qui legem Mosis cum Christianismo esse servandem acriter pugnârint ; Illosque sub nomine Nazarenorum Ebionæorum &c. venire ; Sed primo quaeritur : An R. Simeon Ben Jochai illiusque discipuli huic sectæ addicti fuerint ? Id Viro Celeb. probandum incumbit . Postquam vero hoc hominum genus extinctum fuerit ; Quæritur secundò : In quorum manus liber Sohar pervenerit ? An in Judæorum sive Christianorum ? Non in Judæorum ; Haud enim probabile est , librum illum tamdiu latere potuisse , ut nulli Hebraeorum etiam eruditissimorum e. g. Maimonidi aliisque ante tempora R. Mosis Nachmanidis & R. Ascheris qui seculo XIII. floruerunt , cognitus fuerit ; Neque in Christianorum ; altum enim apud illos de libro Sohar est silentium . Sic omnibus rebus rite pensitatis liber iste merito novitatis accusatur . (b) Posito vero doctrinas

A 3

istas

(b) Conf. David Millius l. c. Humphr. Prideaux in Connex. V. & N. T. P. I. p. 347. Lakemacherus in Observ. Philol. P. IX. Observ. I. p. 5.

istas esse R. Simeonis Jochaidis , exinde tamen nondum conficitur , illum fuisse Christianum. Liber iste est obscurissimus & intellectu difficillimus , quis enim mentem scriptoris satis assequi potest ? Ideæ , quas Author habuit , sunt confusæ , & multis mysteriis involutæ ; Locutiones vero abstrusæ & valde inusitatæ ; Hæc vero ad suam thesin applicare & exinde argumentum pro veritate religionis christianæ velle formare , nec probo , nec suadeo . (c) Fateor quædam in illo haberi quæ religionem christianam sapient , non tamen R. Simeon est statim Christianus . Ubique enim in scriptis judæorum latent testimonia veritatis evangelicæ , ut suo tempore demonstrabitur . Putat vero Vir Celeb. ex libro Sohar *Solidis argumentis* posse probari R. Simeonem . Jochaidem fidem Christianorum fuisse amplexum ; Sed ego e diametro contrarium defendam . Loca quibus hoc evincere conatur , etiam in Talmudistarum & Rabbinorum scriptis frequenter occurunt ; Ergo non statim sunt Christiani , cum in aliis fidei capitibus & quidem palmariis judaismum foveant . (d) Et hujus farinæ etiam est R. Simeon Ben Jochai , qui non teste sed aperte e. g. in articulo de Messia , quem illustrandum nobis sumsimus , judaismum profitetur ; Ex quo cognosci poterit , an Christianus sive Judæus fuerit .

§. III.

(c) Conf. Louis Moreri Diction. Histor. T. III p. 1236. v. Zohar Richard Simon Hist. Crit. du Vieux Testam. L. I. c. XX. p. 116. sqq. & L. III. c. V. p. 371.

(d) Mea hic verba facio Virti Summe Vener. Mosheimii , in Vindiciis antiquæ Christianorum disciplina Seçt. I. c. V. p. 116. sqq. Qui in Primario doctrinæ capire , de Christo videbunt , dissentiant , nec eisdem quibus sua placita corroborent , liberos amplectuntur illi nulla plane ratione seçtæ societatem coluisse dici possunt .

§. III.

Ut autem Cel. Schöttgenius suam sententiam propagnet, locum hunc. §. VI. ex Sohar producit. (a) *Quum Israelitæ adhuc versarentur in terra sancta, illo cultu & sacrificiis, quæ suscepérunt, omnia mala & castigationes in orbe terrarum expiarunt.* השׁתָא מְשֻׁחַ חֲמֹלָק לוּן מִבְנֵי עַלְמָא. Nunc autem Messias illas a filiis hominum auferri. Duo præcipue hic notanda veniunt. Unum, Messiam advenisse; Alterum cessantibus sacrificiis, Messiam auferre peccata a filiis hominum. Utrumque a Talmudistis affirmatur, & brevitatis gratia paucis testimoniis erimus contenti quorum majorem numerum proxime (b) dabimus. Sic enim in Sanhedrin (c) legitur ubi R. Jochanan Eliam ad ostium Paradisi ita interrogat : אִם־תִּהְיֶה מְשִׁיחָה לְרוּרִיה וְהִיא יְהִיב אֶפְתָּחָה רְוּמִי א"ל זיל שִׁילִיה לְרוּרִיה וְהִיא יְהִיב אֶפְתָּחָה רְוּמִי אֵלֶיךָ בְּנֵי עַנְיִי סְבוּלֵי חָלָאים Quando venit Messias ? Respondit ipsi, abi illum ipsum interroga. Ubinam est ? Inquit ille, ad portam Romæ (civitatis) sedet. Quodnam vero signum illius ? Respondit. Sedet inter afflitos oneratos ulceribus. (Ez. LIII. 4. 5.) R. Salomo ita hūc commentatur: נראה לא בפתח רומי ממש אלא גן עדן שנגדר בכל העולם וקאמר לריה שבאותו עד של גן עדן שנגדר פתח רומי טשים שורי: סובלוי חלאים מנוגעים והוא נמי מנוגע רכתייב והוא נשא: Videtur Doctori meo :

(a) Sohar Exod. fol. 85. col. 346. apud Schoettgenium l. c. p. 6.

(b) In Commentatione nostra historico-philologica quæ mox prelo subjicietur.

(c) Fol. 98. col. 1.

meo : Non in porta urbis Romæ ipsius , sed horti Eden , qui toti mundo responder : Quodque ipsi dixerit , in illo latere Paradisi , quod portæ urbis Romæ oppositum est , habitare Messiam . Ferentes morbos sunt , qui percusi vel plagis affecti sunt , & ille quoque (Messias) plagis affectus est , uti scriptum (Ez. LIII. 5.) ipse vulneratus est ob prævaricationes nostras , & scriptum (ibid. v. 4.) & morbos nostros ipse tulit . Huic congrua sunt quæleguntur in libro Chafidim (d) משיח סובל עונות ישראל Messias luit peccata Israëlis . Alterum argumentum petitur a sessione Messiae ad dextram Patris ubi Auctor dicit : (e) כִּי־יְהִי מֶלֶךְ מֶשֶׁיחָא קָרְבֵּן Quando Messias pugnabit contra totum mundum ad dextram Dei Sancti Benedicti , quemadmodum legitur Exod. XV. 7. Dextra tua , Domine , decorata est virtute ; Tunc etiam illud implebitur Lev. XXVI. 42. Etiam foederis mei cum Abrahamo memor ero . Hinc concludit Vir Cel. Quicunque statuit Messiam ad dextram Patris sedere , ille presupponit , eum jam advenisse . Judæus igitur est non Christianus . Ultima Verba : Judæus igitur est non Christianus nullum admittunt sensum . Credo hic sphalma typographicum irrepuisse . Fortasse ita esse invertenda : Christianus igitur est , non Judæus . Aut interrogative accipienda , Judæus igitur est , non Christianus ? Sed quicquid sit , Cel. Auctor sessionem Messiae ad dextram Patris innuere videtur . An hic autem aperte adventus Messiae jam facti mentio fiat , non dixerim . Verba , quibus R. Simeon hic usus est , spectant ad ipsius regnum terrenum , quod tandem inchoaturus est ,

(d) Num. תקhn f. 528. Conf. Joh. Braunius in Comment. ad Hebr. VII. 16. p. 422.

(e) Sohar Exod. fol. 4. col. 15, apud Schöttgenium l. c. p. 7.

est, quando ceteras gentes debellaverit ac sub potestatem redeggerit. Concedamus autem R. Simeonem Jochaidem de sessione ad dextram Dei loqui ; De hac etiam habemus testimonium satis luculentum , imò luculentius quam id quod a Dn. Schoettgenio est adductum. Sic enim legitur (f) אמר רבי ירונכש רב' חמא לעריד לבא ר'קה ב'ה טושוב מלך המשיח לטינו שנאמר יהוה לאדרני שב לימיינו ואברהם Dixit Rabbi Joden nomine R. Chama in seculo futuro Deus Sanctus & Benedictus sedere faciet Regem Messiam ad dextram suam , ut dicitur : (Pl. CX. I.) Dixit Dominus Domino meo sede a dextris , Abrahamum vero ad finis terrae : His loca quædam superaddit minus clara quæ aliquod probare debent , sed revera totam ipsius thesin destruunt. Verba hic sunt . (g) בתרוי ומניין אהבנינו ירושלים Duabus vicibus ædificata est Hierosolyma tertia autem vice temporibus Regis Messiae. Plane hæc cum vulgari judæorum opinione de illorum regno erigendo concordant. Cel. quidem auctor Hierosolymam mysticam ιερόσαλήμ ἡν̄ ἀνα Gal. IV. 26. intelligi contendit ; Sed quod pace ipsius dixerim, nihil hic de Hierosolyma mystica habetur , cum R. Simeon simpli- citer Hierosolymæ mentionem faciat. Hoc enim inter decem S. consolationes Messiae habetur , quas Is- raelitis impertiet , uti R. Machir loquitur (h) רביעית בנין בית המקדש כמוראה בניין שראה יחזקאל כנבואהו . Quarta (Consolatio) ædificatio templi juxta visionem Ezechielis in Prophetia sua (Ezech. XL. sqq.) Nihil enim magis in votis habent judæi quam ut Hierosolyma & Templum reædificantur , quod & in quotidianis precum formulis

B re-

(f) In Midrasch Thillim in Pl XVIII, fol. 14, col. 3.

(g) Sohar Genel fol. 126, col. 502, ap. Schoettgen, l.c.

(h) In אפקת רוכל L, I, P. 1 p. 159, Ed. Hult.

recitant : (i) שיבנה בית המקרא ב מהרה ב ימינו ut brevi ædificetur sanctuarium in diebus nostris. Idem in Pirke Aboth. (k) יה רצון מלפניך כי אלהינו ואלהינו אבותינו שבנה (l) Esto beneplacitum coram te, o Domine Deus noster, Deus patrum nostrorum! ut reædificetur domus sanctuarii cito in diebus nostris Et pone nostram portionem in lege tua. Alium adhuc locum in subsidium vocat Vir Cel. ubi ad LXX. hebdomadas Danielis respicere dicitur. Si vero verba insperxerimus, valde obscura sunt. Hæc enim sunt: (l) Anno LXVI. Et dimidio revelabitur Rex Messias in terra Galilæa, Et stella una in plaga orientali deglutiet stellas septem in plaga septentrionali. Per annum LXVI. & dimidium R. Simeonem LXX. Hebdomadas Danielis intelligere, ego minime dixerim. Cum R. Simeon Jochaides hæc scribebat, jamdudum illæ erant præterlapsæ; Et Christus five Messias jamtum erat in Galilæa revelatus, non autem adhuc revelandus, uti diserte loquitur R. Simeon; Et per stellam unam in plaga orientali deglutientem stellas septem in plaga septentrionali, stellam illam intelligi quæ tempore nativitatis in Oriente Magis apparuerit, ne quidem habet veritatis speciem. Dicitur stella deglutiet non vero lucebit. Quid enim hoc est septem stellas in plaga septentrionali deglutire? Messiam autem in terra Galilæa revelatum iri hoc ab aliis etiam dicitur: (m) משיח רגילה תחילת בגיל כי שם תחילת הגלות Messias primùm in Galilæa revelabitur, quia ibi initium cepit captivitas. Videt igitur Vir Cel. R. Simeonem Jochaidem nisi

(i) In Sepher Tephilloth, fol. 109. Ed. Amstel. 475.

(k) Cap. V. circa fin.

(l) Sohar I c. fol. 74. col. 292. sqq. ap. Schöttgen. I. c.

(m) Jalkut, Chadasch. fol. 143. col. 4. Tit. משיח.

nihil præter alios dicere , ex quo Christiana ipsius fides eluceat. Pleraque sunt incertissima & densissimis te-nebris involuta ut divinatione scopo opus sit , quid velit aut nolit. Pauca sunt clara , perspicua & ad confirmandan five stabiliendam fidem nostram apta. An autem ex incertis & dubiis monumentis veri quid colligi pos-
sit, non video.

§. IV.

Vlterius progreditur Vir Cel. §. VII. & ex libro So-
har totam doctrinam de Messia , quanta quanta est, or-
thodoxè (ut verba ipsius sonant) & accurate, non recte
sed plerumque fatis aperite proponere satagit, ita quidem,
ut Viri Apostolici melius & accuratius haud potuerint.
Sed miror Virum sacrarum literarum peritissimum eō
delabi potuisse cum loca ista si inspiciantur, sint obscuris-
sima & abstrusissima. Explicat quidem multa de Per-
sona Messiae, de natura divina & humana, de statu exinanitio-
nis & ex altationis , de triplici munere illius , Regio , Sa-
cerdotali & Prophetico &c. An recte autem hoc fiat, ju-
dident alii. Judæi eodem jure negant, quo Vir Cel. affir-
mat. Quis nobis certo persuadere auderet, hanc mentem
R. Simeonis Ben Jochai fuisse , cum res sub meritis involu-
cris proponantur ? Quadrant quidem multa in nostrum
sanctissimum Salvatorem , sed quæritur an etiam Recu-
titus de illo locutus fuerit? Quo enim nos vertamus, judæi
semper rimam elabendi quærrent, nisi expressa illos con-
vincat litera. Concedamus vero ejusmodi nomina que
§. VIII. afferuntur, Messiae tribui ut יהוָה Angelus Dei, Sche-
china s. Majestas divina , Metatron &c. Ergo R. Simeon
Jochaides fuit Christianus ? Minimè. Nos eadem nomina
ex aliorum Rabbinorum scriptis suo tempore dabimus ;

B 2

In-

Inde nequaquam concludimus, illos fuisse Christianos.
Licet ex parte habuerint cognitionem veritatis evangeliciæ, in ceteris tamen aperte Judaismum fovent; Id quod etiam de R. Simeone Jochaide judicandum est.

§. V.

Idem de utroque statu Messiaæ exinanitionis scilicet & exaltationis, quem Cel. Auctor §. IX. delineare voluit, dicendum est. Multa explicuit de Messia, an autem R. Simeon Jochaides de Messia hæc intellexerit, id volo? Et quod iterum pace Tanti Viri dixerim, multa sinistre applicantur, quæ plane contrarium involvunt. Sic e. g. verba Soharis (a) יְמֹת מָשִׁיחָדָא וַיַּחֲטָא לְוַהָּבָא מֵות זְמָנָא (b) עַד רַתְלֻקּוֹת חַיִּין גַּבְעָה דָא וַיַּקְוֵם Morietur hic Messias (sc. alter ille nempe filius Josephi ut ex præcedentibus colligitur) Et occisus in statu mortis permanebit ad tempus, donec recolliget iterum vitam hic collis et resurget. Eadém est hæc doctrina quam R. Machir (b) de Messia filio Josephi tenet, ubi signum nonum quod adventum Redemptoris præcedet, ita se habet: יֶלְךָ מֶשֶׁיחָ בֶן דָוִיד וְאֶלְיוֹן הַנְּבָיא וְיַחַזְקָה Messias Ben David et cum ipso Elias Propheta, ex mortuis suscitabunt Messiam Ben Joseph, qui sub portis Hierosolymæ asservabatur. Plane hic nihil habetur de Resurrectione veri Messiaæ sed omnia redolent fabulam de gemino Messia ut porro paucis ostendetur. Huc pertinent ea, quæ de resuscitatione corporum sanctorum attulit. Verba hæc sunt (c) בְּיוֹם שְׁנָה נָמָה כִּיּוֹת מִוְהָה שֶׁל מְעָלָה קְבָ"א אָוּמָר הַמֶּלֶךְ הַנְּכָרָא שאן.

(a) Apud Sommerum p. 91.

(b) In אַבְקָתָה רָוְכָל p. 138.

(c) Apud Sommerum p. 120, reliqua loca ob brevitatem non curramus.

רומה לך ובשר לגוף פלוני שני עתר להחיותו למועד שאין
את הצרקים לעתיד לבוא *Dum anima alitur splendore*
Supremo Deus O. M. dicit isti angelo, qui vocatur Duma, abi,
Et annuncia corpori N. N. quod ego istud sum excitaturus
tempore statuto. Viviscabo enim iustos tempore futuro. Qui-
libet hic doctrinam nonnullorum Rabbinorum ani-
madvertis, quam de Resurrectione mortuorum fovent.
In Sanhedrin (d) dicitur: *תנא רבי אליהו צריים שעתה* *הקדוש ברור הוא להחיוותן אין חוריין לפער וגנ*
Traditio Domus Elie: Iusti, quos resuscitabit Deus non redigentur ite-
rum in pulverem Et c. Reliqua quae de triplici Messiae mu-
nere Vir Cel. attulit, ejusdem sunt valoris; Et si quædam
vestigia purioris doctrinæ de illo deprehendantur, non
statim R. Simeon Jochaides est Christianus. Quod loca
quædam classica §. X. ut Gen. XLIX. 10. Et ll. 11. XI.
1. Lll. Llll. LX. 1. Pf. ll. Zach. IX. 9. Prov. XXX. 4. de
Messiae fideliter interpretatus fuerit, id nondum pro
Christianismo R. Simeonis Jochaidis pugnat. Longe
majora suo tempore afferemus testimonia ex aliorum
Judæorum scriptis qui idem senserunt & tamen fuerunt
Judæi ac in Judaismo usque ad extremum vitæ halitum
perseverarunt.

§. VI.

Sufficiat vero paucis monstrasse argumenta Viri
Cel. id neutiquam probare, quod probare debebant.
Nos longe certiora indicia pro nostra sententia produce-
mus, quæ purum putum Judaïsmum produnt. In li-
bro Sohar tota fere doctrina de regno Christi terreno
iisdem verbis prout apud alios Judæorum Doctores, de-

B 3 scri-

(d) Fol. 92. col. I. Plura loca dabit Dassovius de Resurrectione
mortuorum & Eisenmengerus in Judaismo detecto P. II. c.
XVI.

scribitur; Et quod palmarium est: Figmentum istud de duplice Messia plus simplici vice in illo legitur. Locus satis est clarus, quem nobis dedit Sommerus (a) cuius versionem hic tantum dabimus: *Necessè est, ut futuro tempore, quando veniet Rex Messias, ipse possideat collem supremum, (i. e. divinam naturam) sub cuius alam se recipiat, quo eidem jungatur, ac constituantur in vitam supremam. Exinde enim prodibit tunc temporis Messias Filius Davidis.* Quid mysterium continetur verbis. Pf. l. I. enarrabo statutum (vel ut hic ab auctore nostro vox p̄n sumitur, naturam) Jehovæ, dicentis ad me: Tu es Filius meus ego hodie te genui. Paratus ego sum dicere de hoc loco, in quo mentio fit à p̄n & emunctionis. Filius meus es tu, ego hodie te genui, quod illo ipso die sit proventurus (Messias) sub ala ejus istidemque proprietatibus vitalibus, perfectionibus & prærogativis convenientibus instructus (ad verbum, tanta vita, tot coronis totque benedictionibus.) Quæ tamen natura non relinquuntur sola, sed adjungentur ipsi Messias alter, filius Josephi, qui ibidem stabilitur (seu in eodem subsister) nec ullo alio loco. Quia vero iste collis erit inferior, destitutus proprietatibus vitalibus, morietur hic Messias, & occisus in statu mortis permanebit ad tempus, donec recolliget iterum vitam hic collis & resurget. Ipse Sommerus in illustratione horum verborum agnoscit, hæc omnia abstrusis ænigmatibus; doctrinam Cabballisticam redolentibus esse involuta, quo enim fundamento ille & cum illo Cel. Schættgenius (b) per hunc

(a) l. c. p. 91.

(b) l. c. §. VIII. p. 10. Plerique etiam Theologorum communiter sic explicant. Difficultates vero, quæ hanc Exegesin premunt, sunt multæ. Tempus hic non est ut illas multis expediamus, reservamus has nostræ Commentationi histori-

hunc geminum Messiam, duas in Messia naturas, humanam scilicet & divinam, sive duplicum statum exinanitionis, & exaltationis intelligere volunt? Certe Viri Docti verbis R. Simeonis alium plane affingunt sensum, de quo ne somniando quidem cogitavit. Res adhuc clarior fiet, quando plura testimonia de dupliciti Messia inspexerimus, ubi idem dogma aliis verbis inculcatur quæ neque de duabus in Messia naturis neque de dupliciti statu exinanitionis & exaltationis sumi possunt. Alibi (c) etiam hæc leguntur:

וּרְוחַ אֱלֹהִים רָאָה רֹוחַ מֵשִׁיחָא מֵירָה מִרְחָפֶת עַל אֱנֹפִי מֵיאָה אֲרוֹתָה מֵידָה פּוֹרְקָנָה הַחַד וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים יְהֹוָה וַיְשַׁלְּחָהוּ יְהֹוָה מֵידָה מֵשִׁיחָא רֹחָא בְּגַנְתָּא דְעַרְןָ כְּמָא דְאַתָּ וַיְשַׁלְּחָהוּ מְגַן מְעַרְןָ רֹילָה וְאַמְאִי לְעַבְורָ אֶת הַאֲרָמָה דְאַרְחוֹ שְׁכִינָתָה בְּגַגְהָה וַיְשַׁלְּחָהוּ מֵידָה רִיפּוֹק מַתְמָן וַיְשַׁכֵּן מִקְרָם אֶת הַכְּרוּבִים רָאִינוּ מִשְׁיחָ בְּנָה

Et spiritus Domini (Gen. I. 3.) hic est Spiritus Messiae, illico ac ille ferebatur in superficie quasi aquarum legis, confessim facta est redemptio. Hinc est quod dicitur. Et dixit Deus, fiat lux; Emisit enim Deus Messiam, qui erat in Paradiso, quemadmodum dicitur: Et ejecit eum ex borto Eden (Gen. III.) i. e. ex oblectatione que ipsi. Quare autem additur: ad colendam terram, illa est, Schechina sc. inferior Ecclesia, εξ propter eam ejecit eum. Illico ac egressus est inde, tunc confluit versus Orientem Cherubinos, qui sunt Messias filius David εξ Messias Ben Joseph. Unicum ad hoc locum videbimus & quidem sa-

co-philologicæ; in qua simul aliam commentandi rationem inibimus.

(c) Hunc locum dehebo Viro Clar. Joh. Justo Losio in Diss. Hebræos Veteres Christum scripturæ scopum quæsivisse §. XIII. p. 36. quem ex Sohar p. 19. col. 3. lin. 13. sqq. notavit. Sed ut ingenue fatear, hactenus illum invenire non potui,

ד"א וכל שיח השירה רא משיח ראשון טרם (d) היהיה בארעה. וכל עשב השרדה טרם יצמוח רא משיח שני ולמה בין דלית תמן נישלה לכפלח לשכינת אדרליה אהתמר ואדם אין לעבור את האראמה. וזרוארמללה לא יסור שבתמיורה רא משיח בן דור. ומוחקך מבין דרגלו רא משיח בן יוסט. עד כי בנא שליח רא משה חשבנן רא כרא ولو יקרת עמים אotton ולייקרת.

*Alia Explicatio. Et omne virgultum agri. Hic est Messias prior. Antequam esset in terra. Et omnis herba agri antequam germinaret. Hic est Messias posterior, & quare istud? quia non fuit istibz Moses ad colendum Numen, de quo dicitur: Et homo non erat ad colendum terram. Et arcanum loci istius: (Gen. XLIX. 10.) Non recedet spectrum de Juda. Hic est Messias filius David. Neque Legis lator de pedibus ejus. Hic est Messias filius Joseph donec veniat schilo, *שילה* hic est Moses. Numerus istius est sicut illius, & ipsi erit congregatio populorum, literae sunt illius, & Levi Kehath. Hæc aliaque vulgarem illum explicationem destruunt.*

§. VII.

Negotium vero quod Messias erit suscepturnus mere est terrenum & quantum occasio permittit collatis cum aliorum Rabbinorum scriptis specimen dabimus. Lquitur primò de magnis calamitatibus, quæ tempore Messiae Israelitas operient; de adventu Messiae in solarium illorum; de bellis cum aliis nationibus ac clade Israelitarum in hoc bello perpetra: (a) Versionem la-

ti-

(d) Sohar Gen. II. 4. 5. 6. fol. 25. col. 2. Hunc locum brevi exercitatione sibi illustrandum summis Lud. Cappellus & sub juncta est ipsius diatribæ: *De veris & antiquis hebraeorum literis, quæ opposita fuit D. Joh. Buxtorfi de eodem argu miento Dissertationi.*

(a) Apud Sommerum p. 90. sq.

tinam Sommeri tantum adscribemus. R. Simeon suffulit manus suas & flevit dicendo: Vae ei! cuius etas in hoc tempus incidit. -- Postquam enim iste tribulationes Israeli obvenient, omnesque populi & eorum reges unanimiter consilia contra eum (Israelem) inierunt, atque tot mala decreta prodierunt, omnibus in unum consilium contra eum (populum Israeliticum) descendantibus; Ita ut eversio super eversionem venerit, posteriore priorem semper excipiente: Tunc apparabit columna ignea, a summo ad imum perrigens, per quadraginta dies, quam omnes terrae incole contemplari poterunt. Atque bac tempestate revelabitur Rex Messias egrediens ex horto Eden, ex isto loco, qui nominatus est avis nidus. Revelabitur autem in Galilea. Hoc ipso autem die, quo proveniet, exinde universus terrarum orbis contremiscet, omnesque ejus incole occultabunt se antris & rupibus, ne perdantur. -- Hoc ipso tempore potentia Dei O. M. manifesta fieri omnibus populis mundi, & Rex Messias innotescet universo mundo, omnesque Reges mundi exsurgent, seque consociabunt ad gerendum bellum contra eum. Et multæ gentes a Judeis se alias segregantes, revertentes venient, ut bellum gerant super Regem Messiam. Tunc tenebris obruetur omnis mundus per quindecim dies, pluresque de populo Israelis morientur in bac caligine. His consona sunt quæ R. Machir (b) tradit:

מלך ה' ב' מלך על כל העולם
כמו שאמרנו למעלה יוקם מלך אחר ברומי וימלוך על כל העולם תשעה חמשים ויחירב מודיניות רבוותיו ויחר אפו על ישראלי וישראל עליותם מס גרוול ויהו ישראל באotta שעה בצרה גדולה מרכז הנגידות ורמותהנות שמתחרשת עליהם בכל יום וישראל מתמעטן וכלו נ באורה זמן ואין עוזר לישראל - לסתף תשעה

C

(b) I. c. p. 35 In Messia bellis & hostibus describindis non satis sibi constat. Signo primo tres Reges fore dixerat hic nempe signo sexto de uno tantum loquitur.

חרישין יגלה מישיח בן יוסף ושמו נחמיה בן חושיא' - - ויבא
 מישיח בן יוסף ויתגר' מלחתתו עם המלך וינצח את המלך
 באוֹתָה שׁעה כל אומות העולם טור דין את (c) paulo post
 ישראַל ממרינו תיהם ואַנְסָמָנִים מנייחים אותן לדור עמהם
 במדנותיהם ואומרים ראיותם את העם בזוי ושפֶל שמороּן עליינו
 והמליכו מלך ותהי צרה לישראל שלא היהת כמותה מימות
Regnare faciet Deus Regem super toto mundo, uti supra (signo sc. primo) diximus; in primis vero suscitabit Regem Romæ, qui novem mensibus universo orbi imperabit, plurimas provincias vastabit; ira autem ipsius accendetur in Israelem, quibus magnum tributum imponet, versabiturque Israël tempore isto in extremis angustiis, idque præ multitudine persecutionum et divexationum, que quotidie ipsis novæ oborientur, proptereaque diminuentur valde et consumuntur, quando nullus erit, qui auxilium ipsis ferat. -- In fine vero novem mensium revelabitur Messias filius Joseph, cui nomen Nehemias filius Husiel. -- Et veniet Messias Ben Joseph et certamen inibit cum rege isto, illumque superabit. -- Et paulo post: Isto tempore (quando nempe Messias occisus fuerit) omnes mundi gentes Israelem e provinciis suis expellent, nec secum amplius commorari sinent, dicentque: Ecce populum contemprum et abjectum, qui rebellaverunt contra nos sibiique regem constituerunt. Eritque angustia Israeli, cui similis a mundi principio ad illud usque tempus non exsisterit.

§. VIII.

Porrò de imperio Messiae in alias gentes, quod fratris illarum viribus tandem est inchoaturus, pro captu illius seculi rursus satis crasse loquitur (a) ומיון מלכָא משיחא לשלאה לעילא על כל חילין אחרנן רעטן עע' ז ולתברא

(c) l. c. p. 53.

(a) Sommerus l. c. p. 96.

ולתברא תופיהון מעילא וכותת - - מלכנו משיחא יהא
 חדו לישראל וכוליה דינה לעטן ענ"ז *Constitutus quippe est Rex Messias, ut Dominum exerceat superius in omnes turbas alias populorum a vera religione alienorum, & confringat robur ipsorum superne & inferne -- Rex Messias ostendet gratiam suam Israeli, omnibus vero populis vera religionis expertibus terrori erit atque in judicium. Eo etiam collineant, quæ R. Machir (b) profert: קול*
 זפָּל פְּחָד וּרְתָּת עַל אֶוֹמֶנְתַּי הָעוֹלָם וַיַּפְּלִל עַלְלֵה חֲלָאִים רְעִיטִים
 וַיְשַׁרְאֵל מִתְּאוֹרִים לְצַאתוֹבָא מָשִׁיחָ בֶן דָּרוֹא לְאַלְיהָוָה הַנְּכִיא עַם
 הַצְּדִיקִים שַׁשְׁבָּו מִמְּרֹבֵר יְהוָה וְעַם כָּל יִשְׂרָאֵל הַנְּקַבְּצִים וּבָאו
 לִירוֹשָׁלָם וַיַּעַלְהַ בְּמִעְלָותְּבָית הַנְּשָׁארָת -- סְדֵר אַרְטִילּוּס הַרְשָׁע
 יָמוֹת הָאָוֶן וְכָל חַילָוָן וְכָל הַרְשָׁעִים שַׁהְרִיבָו בֵּית אֱלֹהִינוּ וְהַגְּלוּנוּ
 מִרְצָנֵנוּ *Clanger autem iste(sermo est de clangore, quem ante adventum Messiae Michael buccinâ excitabit)mundi gentibus pavorem & tremorem injiciet, corripiunturque gravissimis morbis. Interim Israelite ad excendum se accingent, venientque Messias Ben-David & Elias Propheta cum justis, qui ex deserto Judæa reduces erunt, omnibusque Israelitis congregatis, & ingredientur Hierosolymam, consensaque regia relict à confidebit ibi Ben-David. Et illico impius Armillus morietur cum toto exercitu suo omnibusque impiis, qui domum Dei nostri vastarunt, & e terrâ nostrâ nos deportarunt.*

ס. IX.

Tandem de statu Judæorum sub Rege Messia nihil aliud differit, quam quod tritum ac vulgare in ceteris Rabbinorum scriptis occurrit, ex quo purus putus Judaismus elucet. Verba ita se habent: (a) אין בין העולם הנהו ל'ימות המשיח אלא שעבור מלכות בלבך ואין בין סוף רע"ה

C 2

(b) l. c p. 30. Quæ verba instar Paraphraseos verborum R.
 Simeonis esse possunt.

(a) Sommerus l. c. p. 120.

הע"ז לתחיית המתים אלא נקיות והשגת ירידעה' רב נחמן אמר
ואריבות ימים אמר رب יוסף וכי ימות המשיח ותחית המתים
לאו חד הוו' אל לאו רתנן בית המקרא קורם לקבוץ
גלוות קבוץ גליות קורם לתחיית המתים ותחית המתים
הו אחרון שבכלם *Non est discri men inter hoc seculum
& dies Messie, nisi dominium tantum super regna. Nec datur discri
men inter finem mundi bujus & resurrectionem mortuorum,
si puritatem & adprehensionem notitiam excipis.* R.
Nachman dixit : *adde longitudinem (scil. æternitatem) die
rum. Dixit R. Joseph: Nonne dies Messie & resurrectionem mortuorum
unum idemque sunt? Resp. Minime. Sic enim doce
mus : Templum præcedit collectionem captivorum, collectio
captivorum resurrectionem mortuorum, quæ resurrectione mor
tuorum est extrellum omnium.* Priora verba saepius in
Talmude leguntur (b) quibus adhuc addimus testimoniū
Maimonidis : (c) אבל ימות המשיח הוא העילם
זהה ועולם כמנהנו חולך. אלא שהמלכות הזהור לישראל
*Ad dies Messie in nostrâ hâc terrâ consumentur, omniaque eo
dem ritu & ad eundem modum procedent nisi quod ad Israe
litas iterum revertitur imperium.* Reliqua manifeste Ju
daismum indicant, & quæ ex aliorum libris huc afferri
possent, brevitatis caussâ omittimus. Ne quis vero mi
retur R. Simeonem Ben Jochai in describenda vita æter
na a vulgari & sensuali modo aberrare, quando convi
vium istud, quod paratum erit justis in seculo futuro, de
cognitione Dei perfecta explicat. Verba digna sunt, ut
legantur (d) *Tunc temporis* (scil. post resurrectionem
mor-

(b) Sanhedrin fol. 91. c. 2. Repetuntur hæc fol. 99. c. 1. Schab
bath fol. 63. c. 1. & fol. 151. c. 2. Pesachim fol. 68. 1. Berachot
fol. 34. 2.

(c) In Hilchot Theschubta Cap. IX. p. m. 98.

(d) Versionem latinam Sommeri ob angustian chartæ iterum
adhibemus l. c. p. 122. sq.

mortuorum) accipient justi cognitionem perfectam -- Dixit R. Jebuda ad R. Chiia : En! intelligis, quid traditione accepimus, Deum O. M. paraturum in futuro seculo convivium justis. Quid hoc? Dixit ad eum, nondum mibi pervenire contigit in societatem cum sanctis angelis, interim fidem praæbo doctoribus. Postquam audivi id, quod dixit R. Elieser, firmiter id inhaesit animo meo. Dixit nempe ille R. Elieser, convivium justorum in futuro seculo respondere dicto Exod. XXIV. II. intuiti sunt Deum ac comederunt & biberunt. Hoc est quod docemus voce ניזונן (pa-scentur.) R. Elieser inquit, uno loco dicimus נחנין voluptatem capient, altero vero נזונן pa-scentur. Quale discriminem inter hæc duo intercedit, nisi hoc? Respondit scil. R. Jebuda: Patres justi, qui non digni omnino inventi sunt, voluptatem nihilominus capient ex isto splendore, quem non penitus consequentur; Verum justi, qui digni inventi sunt, pa-scentur ita, ut adsequantur perfectionem omnibus numeris absolutam. Neque erit ulla alia comeditura & potio, nisi hæc ipsa, qua consistet convivium istud & esca ista &c: Saniores Judæorum eandem viam ingressi epulum illud in seculo futuro non quoad literam accipiunt sed per illud summam felicitatem intelligent. Sic Maimonides (e) Convivium denotat seculum futurum, quæ est vita æterna.

C 3

Ma-

(e) Ad פרקי אבות Cap. III. §. XVI. P. IV. p. 445. Ed. Surens. Fagius ad. h. l. Veteres Rabbini aliud mysterium prodere voluerunt, quo juniores judæi crassissime & absurdissime juxta literam dicta accipiunt. Tuper convivium summam ac æternam felicitatem, qua justi in futuro seculo perfruentur, intellige. Tum nimurum edene & devorabunt Leviathan illum h.e. Satanam, cum viderint, illum cum omnibus ministris suis in æterna præcipitari tartara.

Manasse Ben Israel (f) Intelligentia intima ac perfectissima rerum omnium cognitio est epulum illud de pisce Leviathan, de quo legitur in Traſatu Baba Batra, quod Deus isto tempore preparabit illis, qui optimè ac sanctissimè in terris vixerent. Hec eadem est fragansimum vinum illud conservarum in uvis sex dierum Beresit s. creationis, cuius mentio fit in Berachot: Que omnia non sunt propriè sed metaphoricè intelligentia, uti recte monemur in libro Zohar, Parasat Toldor. Et quemadmodum probe observatum est a R. Gabay in libro Abodat a codes per iſla ac similia significatur spiritualis animarum oblectatio, voluptas ac gaudium, quo in illo statu patientur; Sicuti enim vinum hic hominum animos oblectare & exhilarare solet; Sic etiam status ille spiritualis resuscitatus omni ac perpetuo gaudio perfundet. R. Obadias de Bartenora העולם הבא אין בו לאכילה הולא שתיה (g) וא עפי שיש בו גוף וגויה אלא צדיקים יושבים ועתרותיהם בראשיהם In futuro seculo nec comedent nec bibent, corporei licet ac materiales, sed habent ab initio in capitibus suis coronas habentes ac melestatio divine praesentiae fulgere fruentur. Sufficiant hæc. Hinc apparet R. Simeonem Jochaidem nihil dixisse ex quo illum sectatorem Christi fuisse, colligi possit. Contrarium potius defendimus, illum præconceptis opinionibus ac erroribus circa palmarium articulum de Christo illiusque regno adhuc fuisse imbutum; Atque positis his merito concludimus; illum non fuisse religionem Christianum sed Judæum.

(f) De Resurrect. Mort. L. II. c. XIX. p. 225.


(g) Ad Cod. Sanhedrin c. X. th. I.

F I N I S.

Thk 300







DIATRIBE PHILOLOGICA,
DE
R. SIMEONE FILIO JOCHAI
AUCTORE LIBRI SOHAR
IN QUA
VIRI CELEBERRIMI
CHRISTIANI SCHOETTGENII
DISSERTATIO
DOCENS
R. SIMEONEM FILIUM JOCHAI
AUCTOREM LIBRI SOHAR
RELIGIONE FUISSE CHRISTIANUM
MODESTE EXAMINATUR ET CONTRARIUM
POTIUS EVINCITUR, ILLUM NON FUISSE
CHRISTIANUM, SED JUDÆUM

AUCTORE
JUSTO MARTINO GLÆSENERO,
SS. Theol. Licent. & ad D. Andreæ Paſt.

HILDESIAE,
TYPIS JUSTI HENNINGI MATTHÆI. 1736.

